361.

IN FVNERE
ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPIS
CAROLI BARBERINI
GENERALIS S. ECCLESIAE DVCIS,
ET S.MI D. N. VRBANI VIII. FRATRIS
ORATIO
VINCENTII DONI E SOC. IESV

Habita Romæ in Templo Sanctiſs. TRINITATIS *Conualeſcentium, & Peregrinorum ad Pontem Xiſti Pridie Idus Martij* MDCXXX.



ROMAE, Ex Typographia Franciſci Corbelletti. MDCXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Antoninus Cellius Mag. & Socius Reuerendiſs. P.F. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ord. Præd.

ORATIO.

LVCTVOSAM per hæc tempora populorum è diuerſis partibus in Italiam confluentium diſſenſione ſubortam bellorum tempeſtatem,credebam equidem, Galliæ citerioris incolis non parum allaturam incommodi:at huic principi gentium Vrbi,& tutiſſimo periclitantium populorũ aſylo acerbum adeo , quo tenemur , doloris ſenſum parituram eſſe, nunquam in animum inducebam meum . E viuis tamen ereptum,hoc eſt ex huius corde Vrbis abſtractum , lugemus Principem optimum CAROLVM BARBERINVM, cui æquius multò fuiſſet, ob Italicæ pacis procurationem tanta prudentia , tantoq; labore ſuſceptam viuo gratias , quàm mortuo acerbiſſima hæc, debita quidem gratæ mentis obſequia,ſed ingratæ mortis monumenta perſoluere . A potentiſſimis enim exercitibus agitatam Italiam,dum ille poſthabitis ampliſſimæ domus delicijs , ac commodis à complexu propinquorum,natorum,excellentiſſimæ Coniugis,& quod illi facilè perpeſſu grauiſſimum fuit,ab aſpectu diſtractus Beat.mi Fratris ſummo ingraueſcentis ætatis periculo,& difficilioribus anni temporibus optata pacis laurea donare contendit, tetigit ipſe quidem feliciſſimam , ac ſuis debitam laboribus metam; nos verò ab aduerſa fortuna inflictæ calamitatis inſanabile vulnus accepimus . Ita nobis olea , quam ſperabamus, degenerauit in cupreſſum , ad quam lugemus . O ſpes fallaces! ò irrita mortalium vota! ò infidum blandientis fortunæ vultum ! Verùm inanis hic tumulus,& cõpactilis moles vndique ſuccenſis facibus animata , tot quaſi linguis admonet

monet me officij mei. Siquidem quàm illiberaliter ei gratias agere videaris, ſi ad luctuoſum hunc muti cineris honorem nihil addijcias? ſi extincto corpori luculentum extruas tumulum, animi verò laus, virtutumq. memoria ſit in obſcuro? Video has partes eſſe dicentis. Funeris enim apparatus, ſepulturæ conditio, & ſepulchri conſtructa moles extinctis cineribus eriguntur: laudatio verò in ipſis hominum pectoribus ſolidius marmore, ære perennius, nullorum iniuria temporum collapſurum extruit animo monumentum. Lucent hìc ſepulchrales tedæ, illic æternę virtutum faces accenduntur. Hunc itaq. tumulum amantiſſimi Principis memoriæ in auditorum animis erecturus, non generis nobilitatem ſupra quingentos repetitam annos; non maiorum laudes, & præconia, quæ integram ſibi vindicare poſſent orationem, velut alienas in hoc funere faces exponam; ſed proprijs ſuccenſam virtutibus, ſuo ſplendidam lumine fūnebrem pompam breuiſſima oratione deſignabo. Quandoquidem clarum hoc natalium lumen à maioribus accenſum, niſi tuis enutrias ſudoribus, apto velut alimento, aut tibi lucem negabit in te extinctum, aut generis lux vmbrã in degeneri poſteritate proijciet. Indociles pueritiæ annos (vt hinc ducam laudis, luctusq. principium) quibus innocenter erramus, prætergreſſus CAROLVS BARBERINVS primum, quod affulſit rationis lumen ad egregiam, quam à natura ſuſceperat indolem illuſtrandam conuertit: ijsq. animum & pietatis, & liberalium diſciplinarum ſtudijs excolendum ſtatuit, quibus, totum reliquæ vitæ curſum Deo æquè, atq; hominibus gratus poſſet inoffenſo pede conficere. Cognouerat nempe, ceream illam ætatem facilè poſſe in quamcunque formam effingi; ſi verò obduruerit, vt diuina teſtantur oracula, frangi poſſe, ab impreſſa ſemel imagine diuelli non poſſe. Sic arborum

rum

rum ramos, quos molles, ac teneros in quamcumque partem facilis verſat manus, robuſtiores vis nulla ab annoſa curuitate detorqueat. Sic parua magnorum initia fluuiorũ quaquà velis, nullo negotio flectas; aucta verò, ac tumeſcẽtia inuitis vrbibus, atq; prouincijs ruptis populorum ſudore præſtructis aggeribus, qua libet, luctuoſum alijs, ſpatioſum ſibi aperiunt iter. Quamobrem tanta cura, tantaq. conſtantia CAROLVS bonis artibus iuuentutem inſtruxit ſuam, vt cæteris admirationẽ, feliciſſimã ſibi compararet rectè, ſapienterq. in poſterum viuendi facilitatem. Quid verò mirũ ſi in virtute conſenuit, qui iam tum puer æuo, ſenex moribus fuit, & in eius annorum vere dictorum, factorumq. maturitas autumnabat? Qua induſtria, qua vigilantia perículoſiores florentis ætatis annos occupare contendit, ne otium in turpe, ac flagitioſum, vti ſolet, degeneraret negotium? Id verò quanta ſit felicitate conſecutus, præter cæteros illius glorioſi laboris conſortes, & æquales, te in primis Sapientiſſime, atque Optime Pontifex VRBANE teſtem appello, qui quò ſanguinis affinitate propinquior, eò ſtudiorum, atque virtutum ſimilitudine in ea ætate coniunctior, indiuiduus comes fuiſti: tu ex iſta, quam obtines, cortina veritatis, eò ſanctior Appollo, quò verior petentibus nobis ede reſponſum, quod nobis erit oraculũ: teſtare, ad publicũ inſtruendę iuuentutis exemplar, nationibus vniuerſis hoc populorũ compendio comprehenſis, qua animi temperantia, qua firmitate propoſiti iuuenilem ætatem per dulciſſima ſubdolę voluptatis inuitamenta, per ſuauiſſimos fallacium Syrenum cantus integram, atque incolumem honeſtatis, ac pudicitiæ ſumma cum laude traduxerit. Aures quippè non cera ad auræ calidioris afflatum liqueſcente, vt de ſagaciſſimo Græcorum teſtatur Homerus, ſed ſapientiſſimis tum Chriſtianæ, tum etiam veteris philo-

ſophiæ præceptis obſtruxit; quod ſi feciſſet ille, nunquam Syrenum cantionibus tam feliciter eluſis, deinde, vel apud Calypſo ſuauiſſimis lenocinijs, vel dulciſſimis apud Circen carminibus infeliciter aures, animumq. ſubmiſiſſet. Tanta fuit præterea in ea ætate, modeſtia, vt non ſolùm parentes, ac præceptores obſeruaret, ſed etiam fratres, eosque, vel natu minores cariſſimo beneuolentiæ vinculo complecteretur, & coleret. In quo illud habeo narrare, quod iure maximam ſibi vindicet admirationem; ſingularem ſcilicet eum ſemper honorem MAPHÆO ſupra cæteros detuliſſe; quaſi conſequendum ab illo poſtmodum ſummum inter mortales dignitatis faſtigium animo præſagiret, atque ab illa iam tum Aurora veneraretur hūc Solem. Niſi fortè dicamus, eas animi dotes in MAPHÆO ab indiuiduo comite in tenera ea ætate fuiſſe deprehenſas, vt ad tantæ Perſonæ munus cum dignitate ſuſtinendum præter maturitatem [illegible] ris nihil illi deeſſe videretur. Quid de acri, velociq; dicam ingenio? quod politioris litteraturæ, amœniorumq; Muſarum ſtudijs expolitum reliquis diſciplinis liberaliter ornauit, ſapienter inſtruxit, erudiuit laborioſè, informauit egregiè. Quid Poëtarum volumina commemorem, quorum multa dicitur memoriæ commendaſſe? Quid Mathematicorum regulas? Quid Philoſophorum opiniones, & dicta? Quid iuris prudentiæ leges, atque inſtituta? Quid tam varia rei militaris præcepta? de quibus tam eruditè diſputabat, vt in gremio pacis natus, atque adultus, clypeos habuiſſe pro cunis, vexilla pro faſcijs, & penè pro lacte ſanguinem dici poſſit. Hæc verò multiplex eruditio, quò magis mira, hòc minus vera videri poſſet ijs, qui famæ rumoribus, atque oſtentationis ſpecie potius, quàm ſolida rei veritate ducuntur; non tamen ijs erit nouitate mirabilis, quibus CAROLI ſingularis

animi

animi temperantia, atque moderatio nota iam fuit. Plura enim ſcire, quàm loqui ſtuduit: animum magis, quàm inanem popularis auræ gloriam paſcere curauit: & ſibi ſapientiam, non alijs admirationem quæſiuit. Eloquentiæ ſiquidem Romanê pronunciantis oraculum eſt, ſapientem raro, & nonniſi res poſtulet, ſapientiam expromere. Tantum impendit operæ, vt iuuentutem ingenuis moribus, ac liberalibus diſciplinis imbueret, quò viam virtutis adoleſcens ingreſſus, nec ſenex ab ea recederet. O præclara ſapientiæ ſtudia annos antegreſſa non ingenium! ò immaturæ ætatis matura conſilia! ò præcoces caſtiſſimæ iuuentutis fructus cum ipſo flore prodeuntes. Non tamen hìc, Auditores, tantæ laudis terminos ſibi præſcripſit CAROLVS BARBERINVS. Siquidem quam in ſe optimam expertus fuerat inſtituẽdæ iuuentutis diſciplinam, tradidit poſtmodum quaſi per manus liberis ſuis. Nam feliciſſima, & ſe parente digna prole donatus à Cælo, ea vigilantia, eoq; animi ardore optimis moribus illam ſtuduit informare, vt iam tunc, non priuatæ domus, aut domeſticæ familiæ, ſed prouinciarum, atque regnorum dominatricem eam deſignare videretur. Et qui, vt paulò ante dicebam, ſapientum præcepta tàm diligenter euoluerat, nouerat quanto verborum, ac ſententiarum pondere præcipui humanæ ſapientiæ duces Plato, & Ariſtoteles in ſuis Principatibus, ac Rebus publicis optimis legibus informandis edocendæ pueritiæ curam commendarent, dum in hoc vno ſitam eſſe Regni felicitatem aſſererent. Quam inſtituendæ familię curam adeò complexus eſt CAROLVS, vt felicitatem illam ab Euripide ſummam in parentibus habitam ad communem Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem perfectiſſimè ſit conſecutus; optimam nempè, ac bonis inſtructam diſciplinis prolem: ex Dei namque loquen-

tis

tis oraculo filius ſapiens gloria parentis appellatur; & meritò; nam parentes animum filiorum à Deo ſolo formatum ſapientiæ ſtudijs informantes, hanc etiam & nobiliorem eorum partem videntur ſibi quodammodo vindicare. O tuas hìc etiam veriſſimas voces ſuauiſſime Pontificum ſanctiſſime Poëtarum VRBANE, quibus poſt integertimæ vitæ præcepta caſtiſſimis verſibus illigata ſubiungis:

Hæc frater æquis CAROLE moribus
Imbuta Proles audiat: integra
Nil mente maius: pars paternæ
Sortis erit ſatis ampla virtus.

Hoc nempe natis ille te iquit ampliſſimum & pulcherrimum patrimonium. Illud etiam tacere non poſſum, quod à ſapientiſſimis viris crebris vſurpatū ſermonibus audiui: maximo videlicet, Optimoq; Pontifici VRBANO VIII, ſi quid præter eius virtutes ad ſupremum dignitatis omnis, honorisq; faſtigium aſcendendum acceſſit extrinſecus, optimam fuiſſe in fratris filijs inſtitutionem perſpectam. Fieri nempe quì poterat, vt ex ea domo, in qua tanta domeſticæ familiæ diſciplina viguiſſet, non ſalutaris etiam (vt deinde comprobauit euentus) bene viuendi forma toti terrarum orbi proficiſceretur? Vt propterea meritò dici poſſit CAROLVS fuiſſe hac ex parte faber felicitatis ſuæ. Verùm quando ſupremam hanç fortunam, quæ illi poſtremis annorum ſpatijs arriſit, attigimus; quis eſt, qui ſingularem illius animi modeſtiam, ac temperantiam in tanta poteſtate rerum omnium non admiretur? Non eſt ſanè difficile nauem prope littus ad lenis auræ ſpiritum moderari: at in altiori pelago, vbi ſecundioribus auris vehementiùs afflantibus vela turgeſcunt, quàm arduum, quàm laborioſum non totos captare ventos, & incitatiſſimi curſus vim, impetumq; non ſequi?

ſequi? In mediocri rerum temperie quis temperatè non viuat? At modum ponere fortunæ, ſine modo blandienti; & altiſſimis montium verticibus inſiſtere, nec ventis quati, eam verò incredibilem quandam animi dixerim eſſe conſtantiam. Nulli, vt aiebat ille, nec ipſi ferè ſapienti conceſſum, animum ſecundis rebus elatum deprimere, & publicis, atque præcipuis euectum honoribus priuatæ fortunæ perſonam ſuſtinere. Qualis hìc mihi profectò naſcitur ad laudandum ſeges vberrima ab ea animi temperantia, ac æquabili vitæ tenore, quē CAROLVS ab vtero matris acceptū ætatis reliquo curſu tàm in proſperis, quàm in aduerſis rebus inuiolatum ſemper ad mortem vſque ſeruauit? Conſtantiſſima ſiquidem mentis acie fulgorem illum, quo obtunditur adeò mortalis obtutus, aſpexit inuictus; veriſſimo docens experimento, non magis magnanimam auium Reginam, quæ oborientis impetum lucis immotis palpebris excipere ſolet impunè, iure ſupra cæteras obtinere principatum; quàm inter mortales ex eloquentiſſimi Iſocratis dicto ſapientē hoc vno ab ignobili turba ſecerni, quòd vtriuſque fortunæ motum ferat immotus. Et quoniam ita ſapientiſſimus mundi fabricator, & cuſtos Deus decreuit, vt riſus ſemper aliquo dolore miſceatur; in tanta etiam felicitatis affluentia aduerſis rebus fuit exploranda mens CAROLI. Bellorum incendia Principum diſſenſione ſuccenſa non parum illius animum vexarunt publicæ magis, quàm priuatæ quieti conſulentem. Varia, & ſapientiſſima de pace conſilia à prouidentiſſimo Pontifice ſuſcepta, fuerunt rerum acerbitate reſciſſa. Quid faceret in tanto fluctuantis Italiæ turbine æquiſſimus pacis interpres, ſequeſter litium, atque diſſidiorum VRBANVS? ſpretis priuatis commodis, & dulciſſimo, quo in cariſſimum fratrem amoris vinculo tenebatur adſtri-

ctus,

ctus, CAROLVM ad ſe vocari iuſſum ſic alloquitur. Vides frater amantiſſime, quę pugnãtium principum, ac populorum procella ſuperimpendeat: bellorum apparatus, exterarũ nationum aduẽtus, difficiles tractandę pacis, concordięq; conditiones vides. Regum, ac Dynaſtarum mentes ad conſenſionem adducere iamdiu omni ope curauimus. Vnum ſupereſſe viſum eſt, extremum extremo malo remedium, vt tu cum ſapientiſſimo filio Card. ANTONIO, quos tanta ſanguinis, & beneuolentiæ coniunctione complectimur, & quos noſtræ mentis interpretes elegimus, propiùs bellicos eos tumultus aſpiciens omni ſtudio, atque induſtria ſedare contẽdas. Et quoniam nos illuc vobiſcum accedere muneris noſtri cura non patitur, proficiſcentes vos ſequemur auctoritate. Quid hìc dixiſſe CAROLVM creditis Auditores? An tractandarũ rerũ difficultatem, an longitudinem itinerum, an temporum aſperitatem, an ęuo confectos annos, an acerbam in ea ætate à domeſticis, atq; propinquis auulſionem obtendit, vt alienis illis, ac periculoſis negotijs ſecurum domus ſuæ otium anteferret? Feciſſet id aliquis fortaſſe, qui publici muneris fructu ſuæ, non alienæ ſtuderet vtilitati: At ille, qui vnam gentium, ac populorum pacem in rerum adminiſtratione ſpectabat, poſthabuit quicquid commodi, atq; honoris ſecũ ſolet afferre tanta in Vrbe Romana poteſtas, atq; hilari vultu, mente conſtantiſſima demandatum ſibi munus hac fermè oratione ſuſcepit. Expeditum animum gero ad quodcunq; me deſtinas Pater Beatiſſime. Vtinam vires animo pares æquè expeditæ ſufficiant. Si quid tamen ijs deeſt, mandata ſupplebunt tua: & ſi aliqua mihi ſit perueniendi ſpes, quamuis nulla reuertendi, non recuſo, quominus, vel extremo ſpiritu, ſi quam opem Italiæ Rebus afferre poſſim, experiar. Lætus occumbam, modò mecum tumultus, ac diſ-

ſenſio-

ſenſiones intereant,& accenſa bellorum incendia meos redigantur in cineres. Nunquam iucundior mihi vita,quàm ſic extincta Mortis tenebris libenter oculorum lumen occludam;ſi optatam pacis lucem populis, ac gentibus aperuerim priùs. Extrema hæc ętas,velut hyems annorum,interibit facilè, ſi placidiſſimum concordiæ ver Italiæ parturiat. Quapropter cum ingentem pecunię ſummam ad conſtruendum Ereti in oppido templum Deo deſtinauerim, Beatitudinem tuam oro, vt pio huic operi & primam, & vltimam admoueat manum,quando id mihi à Cęlo negatum iri proſpicio. Sic ille obitus ſui tempus appetere neſcio qua præſenſione diuinans reſponſum Pontifici dedit, & Bononiam iter inſtituit,quod illi viam patefecit ad Cælum. Ibi namq; dum ille grauiſſimis, & ad publicam Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem ſpectãtibus negotijs implicitus ſumma induſtria, & vix in ea ferendis ætate laboribus,communem agens Italiæ cauam,ſpem ſummam in omnium animis componendæ pacis ſaccenderat,in ipſa cura, & meditatione obeundi ſui muneris, proh dolor,exceſſit è vita.Heu fugax vmbra proſperitatis!heu riſus fortunæ fallax! ſic illa ſuum pertinax ludum ludere, mortalium ſpes eluſit.Tu verò,optime Princeps,à conſtantiſſimis hiſce ludentis felicitatis motibus euectus in ęternum felix i,quò te tua pietas,quò exactę vitę curſus,quò Cęlum vocat. Agitanti pacē inter mortales ęterna pax enituit neſcia diſcordiarum. Aedem Deo in terris erigere cogitanti ſempiternum illud templum aperuit Deus, vbi velamine quocunq; reſciſſo infinitam illam, ac feliciſſimam naturam piè licebit adorare, beatèq. contemplari. Roma verò, licèt vltimum abeuntis ſpiritum non exceperit, excipiet tamen tui memoriam,altèq;conſepultam viuo ſui pectoris tumulo tandiu viuere concedet,quãdiu Roma ipſa cor Vrbiũ viuet.

F I N I S.

Carolo Barberino Ereti Duci
Totius Eccleſiaſtici Exercitus Imperatori
Archiconfraternitas Conualeſcentium,& Peregrinorum
Cuius annorum mortalitatem ſiſtere precibus
Optauit, non potuit
Grata Benefactori munificentiſſimo
Reponit honoris immortalitatem

Erant noſtra vota, vt nobiſcum eſſes
Firmet tua Deus anime feliciſſime
Pacem in Rhætia tuis conſilijs feliciter compoſitam
Dedignatus perturbari
Vt ſtabilius confirmares
Ad Cœleſtem Regiam
Euolaſti

Excipite Animam Imperatoriam
Cœli Milites.
Quæ reſtituta militari Diſciplina
Prudentia ac felicitate non ſine laboribus
Bellicis obſidentibus incurſionibus
Occluſit Imperium
Quod habetis apud nos mortale

Pacem habeto
Anima Pacis Amantiſſima
Eius tu fructus in Cœlo percipe
Cuius ampliſſimam Sementem in Italia feciſti.